



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

IV. Beatam dicunt angustiati; quia est immensæ misericordiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

accensa; inter gratias post victoriam Varensem, dum obsiderent Clarum montem seu Czenstochoviam Sueci cum suo Duce Millero, Praefectus ejus militaris, cum tractat cum Duce per latera jaculo ferreo manu ignota missio transverberatur, & ipsi Millero Virgo per somnium se dat conspicuam, ac terret, deinde militibus 40. se ex muris Clari montis ostendit, ac illos exanimat, ab ipsis hostibus, in ipsis turrium pinaculis conspicitur, telorum, globorumque tempestatem in eosdem retorquet & ut eorum fallat conatus, moenia loci jam in altissimas elevat nubes, jam in imas valles deprimit, alijs sclopos suos explodentibus manus arefacit, alijs ad manus facit accrescere.

Dum Cracovia esset à Suecis obsidione cincta anno 1649. Octob. 10. bellum cum tormentum igne rubeum contra castra Suecorum directum in aëre comparuit, dies is erat sacer Virgini ob victoriam Chotimensem. Quicumque in praelio Berestecensi imaginem B. Virginis Tuchovianis gestarunt, omnes incolumes redierunt. Cum ad eandem imaginem spoliandam Sueci noctu properarent, prodigiosa caligine abacti. Cum Grosnam oppugnarent Transylvani mini Ruisis rebellibus, civesque deprecarentur Virginem, hasta cruenta in ipso oppugnationis fervore apparuit, ac hostes terrefecit. Miles Sueticus cum impiè imaginem Virgineam Ravæ spoliat, vi occulta ab altari dejectur, atque animam exhalat. Cum Beccam quæ est civitas Poloniae in submontanis imago Jaslensis B. V. esset delata, eodem momento quatuor millia Transylvanorum ac Cosacorum ab oppugnatione loci quam parabant absterruit. Nobilitas Lancienensis in praelio Berestecensi se Divæ Virgini Luticensi commendavit, & nemo eorum desideratus. Ope invocata Virginis Bogusicensis Stephanus Czarnecius Transylvanicum exercitum partim cecidit, partim fugavit. Ducta & invocazione Beatae Bilscensis Chovvanski Dux Moschorum profligatus.

4. Beatam dicunt angustiari.

Quia est immensæ misericordiae.

Picardia Galliae Provincia id in Virgine deprædicat, dum eam *Exhilaratricem* seu *Dominam nostram gaudiorum* appellat. Tituli hujus origo talis, ut apud *Fornerum Bosius lib. 5. recenset cap. 22.* Anno 131. capti tres Rhodij equites S. Joannis fratres Galli à Soltano Ægypti, sollicitati ab ipso astu, carcere, minis; & ab ejus filia Ismeria blanditijs; ut à Christo ad Mahometem descirent, sed potius Ismeria

ab ijs ad Christi, ejusque Matris cultum conversa est, simulque desideravit saltem in imagine S. Virginem intueri. Itaque dum in carcere cum illis aliquantulum moratur, ecce imago Deiparæ ad carcerem cælitus miro cum splendore descendit, quid ibi lætitiæ captum? sed majus est, quod sequitur sopiti illi, Heroes cum Ilieria in momento in Gallias cum data cælitus imagine Virginea transferuntur, ita solatium in vita, libertate, patria, religione, securitate reportant. Imago mansit in Picardia & titulos quos memoravimus obtinuit.

Jam cum *Josepho Confess. in Men. 2. Jan. ode 4.* dicamus & nos, Medere cordis mei vulneribus Virgo, motusque meos internos ad voluntatem Numinis dirige, tentationes demitiga & miserandæ animæ meæ fluctus compone, cor denique meum angustijs pressum tuo solatio refice. Hæc enim est ut ait *Sabbas 28. Jan.* Spes desperatorum, omnium afflictorum Lætitia, iniquè oppressorum Patrona, Sustinatio pauperum, exultantium Consolatio, in fluctibus laborantium Portus, imbecillium Robur, laboris æstu confectorum Umbraculum, Auxilium, Baculusq; cæcorum. *ut cum eodem quisq; dicere ibidem possit.* Te nactus sum unicum animæ meæ Solatium, & illud planè Divinum. Et securè cum *Ecclesia Græca ibidem in Men. 29. Martij.* In (quæ nos premunt) angustijs, intercessionem tuam, ô Virgo ut laxamentum habemus, & omnes indè tui cultores periculis involuentibus, evoluntur. *Es ibid.* Amplissimam lucem hilaritatis internæ omnibus illis expandis, qui te velut Deiparam magnis omnino laudibus tollunt. Quocirca *Joan. Archiep. in Men. 10. Julij orat.* Nè despicias me tuum indignum domesticum servum, tu quæ es paratum omnium tribulatorum Auxilium.

Tursell. hist. Laur. lib. 5. c. 15. Cùm Edmundus Hybernus Ardajacensis Episcopus fugeret persecutione Elisabethæ Reginæ Angliæ clam conscensâ navi, in Dracum Anglum Archipyratam incidit pridie Natalis B. V. nocte verò præteritâ unus ex ejus socijs videbatur sibi cum hæreticis nudus disputare, ac impetravisse à B. Virgine pallam, quâ tegeretur. Explicuerunt somnium de protectione Virginis, & ita evenit, invocata ejus ope: nam præses navis etsi hæreticus conspectâ Draci nave, suspicatus ad necem quæri. Episcopum, eum in sentina cum socijs abscondit, semel in diem victum submittendo, capta nave à Draco, ducebatur in Angliam, jam dies octo pyrata scrutati etiam cum facibus nec repperunt, tum etiam navem abire siverunt, quæ rursus in alios peiores incidit, qui scrutando tandem ad Episcopum perveniunt, sed dum eum capere incipiunt, oculis ac mente capiuntur.

Habetur in Summario processûs pro canonizat. *Ferdinandi Regis III. Castellæ, & Legionis edito Romæ anno 1629.* Vigente inter Hispanos, ac Lusitanos bello, captus navis Hispanicæ ductor in obscurissimum conjectus carcerem, interea uxor captivi accessit statuam S. Virginis, coram qua solebat orare Ferdinandus petendo Miriti liberationem, & præterea offerendo per dies 30. panem, vinum, & candelam ad illam statuam; his meritis miraculosè in carcere reficiebatur, ac eâ candelâ illustrabatur, mirati custodes rem detulerunt, quæ ubi innotuit Regi Lusitanicæ, liberum abire jussit, quem jam paulò ante ad mortem damnaverat. Itaque tum illi cum *Græca Ecclesia in Euchologio Græcorum: pag. 865.* canamus. Annue famulorum tuorum precibus, calamitatum insultus reprimere, & ab omnino afflictione libera, te namque solam securam firmamq; Anchoram habemus, *In Chronol. Episc. Benevent. anno 663.* Imminebat exitio Beneventi civitatis Constantius Imp., tum S. Barbatus ejus loci Episcopus suorum lachrymis commotus, jussit eos benè sperare, dum vitam emendarent, cujus illa factò promisso, oravit Sanctus, ut B. Virgo Duci eorum Romualdo pro mœnibus pugnanti compareret, & verè comparuit, quo viso ita animati, ut hostem fortiter rejecerint.

In Chronico Franciscanorum 4. p. lib. 3. cap. 57. scribitur de Francisca à S. Antonio Ordinis Minoris. Hæc rudi valde ingenio cum nihil ediscere posset, à magistra minas accepit, quòd nisi edisceret cingulum illi esse ab eadem ex pelle detrahendum: territa his ad S. Virginem recurrit, ficto terrore verè afflicta, S. Virgo continuo annuit, quòd illam esset edoctura, & in imagine ut etiam nunc est caput inclinavit. Plenum illud solatij quod *Lipsius scripsit de Virgine Hallensi cap. 33.* Mortua erat cuidam proles sine baptismo, quid facit mater? cogitur humo prolem tradere, sed spes bonas sibi retinet, sollicitat precibus Virginè; adest post multos dies Virgo, & vitam sepulto puero donat, effoditur vivens, sanus, rubeus, & coram septuaginta hominibus baptizatur. *S. Amed: bon: 8. de laud: Virg: aptè dixit.* Omnium de quacunque tribulatione clamantium preces illa libens suscipit, & Nato supplicans, omne malum ab eis Miseratrix avertit: enimverò sicut ignis attactu cera liquefcit, & velut ardore solis defluit glacies; sic ab ejus inimicorum facie deperit facies, eaque jubente nihil per se subsistit.

Dum adhuc viveret Virgo, de ea *S. Ignatius M. testatur.* Maria, miseris, & afflictis condolebat coafflicta, *S. Ignatius M. testatur.* griter subveniebat. Sed & modò juxta *Bonav: opusc: 25.* Tutissimum afflicto *S. Ignatius M. testatur.* a omnium Perfugium. Et *Damasc: orat: de dormit:* Unicum molestiarum Levan.en, omnium dolorum cordium Medicamentum, *Richard. à S. Laur. lib. 12.* Maria est Virga consolationis, de qua psal. 22.

Virga

Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga Maria, baculus lignum crucis² Hæc in specie Scalæ Jacobum solata Patriarcham peregrinum, hæc afflictum populum in Rubo ardenti ostensa Moyfi, imò facit exultare in tribulatione, sicut Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt contumeliam pati. *Gualelm. in Cant. 7.* Plerique non inebriantur omni tempore, sed tantum in prosperis, sicut nec luctantur omni tempore, sed tantum in adversis: porro nonnulli per uberiorem gratiam etiam in adversis exultant, & B. Matris intercedentibus meritis, in ipso fervore malorum, secundum Apostolam mente excedunt Deo, usque ad oblivionem eorum. Undè illam salutat *Andr. Jerosol.* hoc modo. Salve lætitiæ nostræ Organum, per quod delicti nostri delectatio expiata, ac pleni gaudij facta est compensatio. Et *Chrysippus Presbyter: Jeros: Ave Radix omnium bonorum.* *Rupert. lib. 1. in Cantic.* O Beata Maria Inundatio gaudij, Vis amoris, Torrens voluptatis. *S. Ephrem orat. de B. Virgine.* Fontem vocat torius consolationis.

Refert *Hier. Gudicellus in Hist. Hisp.* Quòd Ferdinand: 3. Rex Hispanorum, cum Hispalim ab hostibus recuperaret, nec statim expugnare posset, accessit imaginè Virginis cum luctu, quòd ob sua peccata moras traherent Mahometani in tradenda Hispali. Solata illum B. Virgo, promisit brevi civitatem expugnandam ab illo, atque ita accidit. Circa annum 745. adeò mæstus & sine spe victoriæ Gracia Ramirus Hispanus contra Mauros pugnaturus discessit, ut omninò & se moriturum in bello, & domum suam, ac filias in hostium potestatem venturas putaret: quod ut averteret, ductis ad templum volentibus filiabus, capita ante altare Virginis amputat, & sic discedit, vincit Mauros, regreditur impiæ pietatis in filias commissæ poenitens: ecce Consolatrix Virgo, filias illi vivas stitit. Factum hoc Madriti, & locus appellatus B. Virginis de Atocha. Ita *Pereda lib. de Patrona Madriti, & alij passim de rebus Madritens:* Videndum etiam *cap. 4. n. 2. de Petrane quod huic titulo servare potest.*

Cum Angli ad sacrum bellum navigarent, disjecti sunt tempestate, apparuit illis S. Thomas Cantuariensis, eosque salvos dixit perventuros: velle tamen B. Virginem, ut prius irent in Lusitaniam, & assisterent Regi Sanctio contra Saracenos auctores victoriæ. Venere missi afflictò Regi, sed nondum ille par immensis Barbarorum copijs, quæ invaserant civitatem S. Irenæ in Lusitania: & ecce ipso die superbus Rex hostium Bojac moritur, exercitus dilabatur, victoria fit incruenta, quam refert *Tamajus ad Annû 1188.* *Spondanus* verò ad annû 1169. aliud narrat. Utzij Scythiæ populi ad sexcenta millia collecti, debellaverant exercitum

Roma-

Romanorum, & feroces victoriâ, nec muneribus, nec legationibus flecti poterant: in oriente etiam Turcæ fatigabant imperium, Imperator Constantinus Duca, homo imbellis præerat, sed pius; coactus tandem à civibus Constantinopolitanis exire hosti obviam, nec reperit qui eum sequerentur ultra 150. milites rebus sic desperatis ad Divam Virginem confugit. Illâ ipsâ die quâ orabat Imperator, Utzij viderunt acies supra se in aëre dimicantes & tantum in se jacientes telorum, ut nullus illæsus manserit, mox tota gens & peste, & fame correpta, coacta est redire, & aliqui ad Constantinū militaturi sub ejus signis transire. Sigbertus in chron: ad annū 1098. describit factam obsidionem Antiochiæ à Barbaris, & ex eâ tam foedam famem ortam, ut nè carnibus humanis abstinerent obsessi, tum ut scribit Colvener. Jun. 78. Bertholdus ductor Christianorum votum fecit B. Virgini, comparuit illi B. Virgo, & promisit victoriâ, & præter spem hostes rejecti ab obsessis.

Asservatur etiam num in Hispania in Monasterio dicto de Pinto imago D. Virginis, quam sustinebat Diva Mater Anna. Monialis quædã afflicta ad hanc recurrit, ut suam innocentiam testaretur prodigio aliquo: exaudivit S. Virgo, & de ulnis maternis Annæ descendit, & ad latus altaris stetit cum omnium admiratione: hæc vocatur Domina nostræ misericordiæ. Ut Quintana lib. 3. cap. 98. scripsit. Illud notabile in Hispania de imagine B. Mariæ de Ceica dictæ. Narratur à Bernardi de Britto 2. p. Monarch: & chron: Cisterc. lib: 6. c. 27. Lorvaniense Coenobium D. Benedicti, munitum contra Mauros, obsedit Apollata quidam ad Mauros transfugum cum copijs Abderamenis Regis Cordubensis, & ad extremam famem ac sitim redegit. Abbas Joannes cum suis consilium desperatum inijt, ut vulgus imbelles in propugnaculo trucidarent, nè in hostium libidinem veniret, quod etiam fecerunt, ac ipsi demum ferro viam sibi, aut mortem quærerent: sed inventa ab illis præter spem vita & victoriâ, & subiit pœnitudo de crudelitate in suos perpetrata: nam & ipse Abbas manu suâ duas proprias sorores jugulaverat, sed S. Virgo omnes illi incolumes reddidit, relicto in collo vestigio vulnerum lethalium. O quàm verum quod Chrysippus Jerosol. orat. de laud. Virg. dicit. Tuum est verissimè audire istud gratiâ plena, quia tecum est universus thesaurus totius gratiæ, & lætitiæ Rex. Hæno, dixit Job, quasi flos egreditur & conteritur, æstus adurit, & sol vehementior: nubes est illi Deipara, sic enim Hieron. eam vocat in Jsaï. 19. Accendantur tonitrua, terra concutietur, grandine æther miscebitur. Apoc. 11. Ecce tunc signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta solo, quæ teste Augusti, in psal. 142. Deiparam adumbrat. Daniel in captivitate politus oravit faciè versus Jerusalem, quæ

quæ juxta *Rupert. de Div. off. 7. cap. 25.* erat typus Virginis: & non tantum hostium evasit insolentiam, sed & Princeps in Regno factus. Quoniam se Noe *Gen. 6.* in amicorum & omnium rerum ruina per diluvium illata solabatur, Dominus præcepit fieri *Arca*: sed expressit eam *Fenestra* ut fieret, Arca Ecclesia est, Maria Fenestra explicante *S. August. serm. 15. de tempore.* Defunctâ matre mœstus erat *Isaac Gen. 24.*, & dum ita mœstus inambulabat, affertur ei *Rebecca*, typus Mariæ. Anno 1636. videbantur aquæ in Ravennam conjurâsse, ita fluvij vicini intumescere, & torrentes aggesti, ut videretur aqua perennem stationem sibi destinâsse ubi stabat Ravenna. Sola ulmus obstitit, in qua imago Deiparæ fuit, & ex ea decerptos arbore furculos, in crucem formatos aliqui rudes fixerunt, ultra quos aqua non progressa. In magno olim periculo versabatur *Asverus*, ab eo ereptus per *Mardocheum*, quod accidit ut exaltaretur *Esther*, quæ ipsa figura Virginis nostræ fuit.

Tria de uno Britone homine, alioquin non optimo, solito tamen orare Virginis rosarium, narrat *Alanus de rupe Psalt. p. 5. cap. 36.* Inciderat semel in latrones, ille appendit capulo gladij rosarium, & ubi gladium strinxit, capere fugere latrones: ijdem latrones rursus conglobati eum invadunt, sed pari fortunâ repelluntur, & ferè omnes vulnerantur, tum unus factus est, quod gladius ejus latronibus visus esset ignitus, quo tantoperè territi, cum autem secundo irruissent, viderunt scutum habentem in brachio, in quo depictus erat Crucifixus, & B. Virgo, & SS. multi, tum verò Brito Rosarium à capulo transtulerat ad brachium. *Alterum est quod eidem contigit.* Unico illi triginta hostes insidiati: sed ubi ille prodijt, statim fugere cæperunt, & quidam illorum vulnerati, tum tres eorum se narraverunt vidisse, illum armis igneis indutum, & Christum vulneratum eum protegentem, & è vulneribus jacula in hostes jacentem, & alterâ parte D. Virginem terribili fulgure hostes fugantem, & Angelos custodientes. Hoc viso qui prius erant hæretici ad fidem conversi. *Tertium de eodem.* Quod dum militaret suis in signis rosarium appendit, hostium erant 20. millia, sed omnes ferè cæsi, & eorum Dux deditionem faciens narravit, quod viderit cum suis hunc militem armis igneis indutum, & in parte dextra ejus exercitûs D. Virginem gladium in hostes stringentem, ante exercitum Christum, è vulneribus suis vibrantem spiculantem plurimos viros armis igneis indutos, qui adversos mirificè terrebant. Dux ille erat hæreticus, hoc itaque prodigio veræ fidei accessit.

Idem Auctor cap. 41. de quodam milite (quæ uti & priora ferè Authoris verbis referimus) nomine Alano de valle Coloram, devoto Virgini, militante

R

contra

contra Albigenfes scribit. Is à plurimis hostibus circumfusus, fatigatis viribus deficiebat, unam spem in Diva reponebat. Affuit Diva, & 150. lapides visibiliter in hostes vibravit, & sic clientem solitum totidem Salutationibus Angelicis Virginem venerari, liberavit. Idem alio tempore naufragatus in mari, sed Virgo illi 150. colliculos excitavit subito, per quos usque ad littus pervenit. Anno 1572. contigit mirabile quiddam Michaeli Colonna Hispano à Turcis concluso undique, hic se Virgini commendavit, & unicus octingentorum Turcarum manus evasit, & vulnera sua ope Virginis sanavit. Testis rei *Balinus Hem: in calend.*

Est in Lusitania imago dicta Divæ Virginis à Nazareth, juxta oppidum Pederneira, hujus origo, & à periculis liberatio, à *Beynardo Brit.* refertur in hunc modum: Fuasius Roupinius venationis impetu actus, nubilo die in locum occurrit, qui immani altitudine præruptus mari impendit, ut nemo præ horrore despiceret audeat: tum advertit periculum, ubi equus quo ferebatur, ferè extra faxum pedes protulit, inclamat opem Virginis, & subito equus in gyrum actus tutiori loco dominum reddit, qui eodem loci imaginem prædictam conspicit, ac deinde gratum facellum erigit. Certè olim 1. *Reg. 14.* hostiliter persequeretur Saul Davidem, at ubi venit ad speluncam Engaddi, totus est emollitus, & benigne Davidem allocutus. Engaddi Vineæ erant umbra Deiparæ, ex illa enim *Cantic. 1.* prodijt *Botrus ille Cypri in vineis Engaddi.* Magi Christum quærentes, summum periculum subierunt in aula Herodis, sed securi transierunt, quia eos *Stella* duxit symbolum Virginis. Ideo dixit *Gisela, in altercat. cap. 19.* Quod hæc Virgo sit Consolatio infirmorum, Redemptio captivorum, Liberatio damnatorum, Salus univerforum. *In florilegio Buteonum: ex orat: Græc: Domina Dei Genitrix, validum Auxilium oppugnatorum, stabilis Anchora, ijs qui tempestate jactantur, Præsidium vexatorum, Exhortatio laborantium, Spes desolatorum, Consolatio lugentium. S. Ephrem, in laud. B. V. Hæc Virgo. Portus tranquillissimus, & à fluctibus procellisq; agitatorum Liberatrix desideratissima.*

Sed nè testimonijs immorati, exempla omittamus; sit quod *Augustinus Turisura in bist. sui fundat.* narrat. Anno 1508. cum tribus centurijs militum, Hieron. Æmilianus Fundator congregationis Somaschæ in bello Veneto castrum novum contra Ducem Cæsarianorum Palisiam defendebat, & jam dejectis aliquoties muris, hostem cum clade rejecerat: cum tandem vi capto castro, ipse etiam in potestatem Palisiam venit, ab eo in tetrum in fundo turris effossum carcerem dejectus, ferro manus pedesque ac collum adstrictus, solo in victum pane, ac frigidâ permisâ, continuis mortis nuntijs ac expectatione torquebatur. Tum con-

versus ad Sacram Virginem vovet se nudis pedibus ad ejus sacram ædem, si juvaret, iturum. Ecce comparet Virgo, & claves porrigit, vincula portasque carceris aperit, ac liberum dimittit, atque disparet. Sed neque periculi neque gratiarum finis. In itinere Tarvisiensi Hieron. in Cæsarianos incidit: rursus ergo Virginem invocat, exauditur: nam cum manu apprehensum invisibilem per medios hostes deduxit, imò itineris comitem se præbuit, donec mœnia Tarvisij se conspectui darent.

Non minùs pulchrum quod narrat *Vincent. Beluacens. lib. 7. cap. 88.* Quidam de navigio quod rimis fatiscens aquas admittebat, in lembum descendere nitentur opem laturus actuaria laboranti, sed lapsus inter utramque, fundum maris petebat, cum ecce multo post tempore, qui merlus fuerat, ad oppositum littus omnibus spectantibus evadit incolumis. Stupuere sodales nautæ, ille verò cadens: Sacrum Mariæ nomen invocavi assidue, donec aquæ permitterent, sed cum ad fundum pertigissem, adfuit Diva pallio me suo involuens, deducensque per aquas ad littus.

Recentiora affert, & quæ anno 1503. contigerant *Horat. Turfelin: lib. 3. cap. 15.* Duo Capucini Anconâ in Dalmatiam solverant, & cum exortâ sævisimâ tempestate imperturbati orarent, nautæ mercibus in mare abjectis, in eos versâ rabie, veluti calamitatis reos deturbant in mare, in maris ipso furore, ope ejus Virginis quam invocabant feruntur solum cingulo tenens aquis immergi, & laudes Virginis decantantes, itaque brevi Anconæ portum tenuerunt, atque sic madidis vestibus, Lauretum se gratias acturi obtulerunt. De similibus dixit *S. Anselmus cap. 6. de excell. Virg.* Sæpe vidimus & audivimus plurimos homines in suis periculis nominis recordari Mariæ, & illicò omnis periculi malum evasisse.

Quam meritò dixit *Bonav. super Salve.* Proteatrix desolatorum potentissima, post Deum singularissima. *Theostericus in canone conciliatorio.* Munimentum in anxietatibus (*Virgo ait*) Murus refugij, Salus animarum omnibus modis. *Bernard.* verò asserit Mariæ viscera in misericordiam transisse, in quibus novem mensibus ipsa misericordia corporaliter requievit. Mari misericordiarum comparat *Dionys. Carthus. Virginem, lib. 3. de laud. Virg.* Maria interpretatur mare, quia sicut nullus valet guttas maris dinumerare, sic misericordiam, gratiæ excellentiam, gloriamque Mariæ nullus valet exprimere. *Richard. à S. Laur.* eadem similitudine utitur *lib. 4. c. 6. de laud. Virg.* Sicut nec maris profunditas, sic nec Mariæ liberalitas potest exhaustiri: indefessè enim & sufficienter dat gratiam universis (nisi per eos steterit) quam facillimè invenit apud Deum. Unde meritò

Ecclesia Græca in Men. 11. April. sic eam affatur: O apud Deum unice gratiosa, tu multiplice erga homines miserationis abyſſo circumfluas, per istam igitur sine fundo misericordiam tuam, peccata mea absorbe, unaque omnes illic macule elue, à me non attendente contractas, ut sic ab omnibus negligentia meæ damnis ereptus, Divinæ existimationis tuæ magnitudinem perenniter celebrem. Conſonat Latinus *Beatus, serm. 4. de Assumpt.* Quis misericordiæ tuæ ô Virgo Benedicte longitudinem, latitudinem, sublimitatem & profunditatem queat investigare? nam longitudo ejus usque in diem novissimum, invocantibus eam subveniet universis. Latitudo ejus replet universum orbem terrarum, ut tuâ misericordiâ plena sit omnis terra, sic & sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem. In profunditas ejus sedentibus in umbra mortis, obtinuit redemptionem. *Roma. 16.* Salute Mariam quæ multum laboravit in vobis. *Lyranus* explicat. Si illa Maria salutanda erat, quia multum laboraverat, quantum magis Benedicte Virgo Maria, quæ super omnes viros, & mulieres pro nostra salute laboravit. *Richard. à s. Luce. lib. 4.* Cùm Maria misericordiam genuerit, quid aliud est ejus uterus, quam ipse misericordiarum thesaurus, & ideo dicitur Mater misericordiæ. *Dionys. Carthus.* enarrat *de Concept. Virg.* Virgo est cui Deus regnum misericordiæ dicitur commisisse. *Bonav. cap. 8. speculi.* Magna fuit erga miseros misericordia ejus, adhuc exulantis, sed multo major misericordia ejus jam regnantis in cœlo; unde pro splendore prioris misericordiæ fuit Maria pulchra ut luna, præ splendore vero posterioris misericordiæ, est electa ut sol, nam quemadmodum sol lunam magnitudine; sic priorem Mariæ misericordiam superat magnitudo posterioris.

Testatur (ut hic sumus in exemplis) hanc misericordiam ille de quo *s. Petrus Celestinus opusc. 6. cap. 13.* Hic ad summam egestatem per luxum devenit, deinde suavis pessimi famuli dæmoni se devovit, & Christum abnegavit; sed dum Virginem nollet abnegare, dæmon subsidium negavit. Sic ille & Deo amisso, & sepe maledicti subsidij ad Virginem Divam, quæ illi unica supererat, recurrit, ad templum, & coram ejus imagine deplorat suum scelus, & calamitatem: intercedit Virgo ad Filium pro homine perditò, personant voces ab imagine procedentes. Filius reponit: Mater mea quomodo possum hoc facere, si iste non timuit me negare? descendit Virgo ex imagine cum Puerò Jesu, & eum in altari deponit, & coram eo iterat preces, tum Puer annuit. Spectavit hanc rei seriem homo dives, qui fortuito ad templum venerat, & cui viderat à cœlo gratiam collatam, & ipse conferre constituit, & statim illum fecit hæredem bonorum, ac Filiam quam habuit unicam, dedit in uxorem. Sed sanctiora meditatus ille induxit ad simile propositum

positum statim primâ nocte conjugem, ac cum illa profugit ad monasterium Cisterciense, ubi ille reliquum vitæ inter viros, hæc inter fæminas exegit. Tibi cecinit *Joannes Geometra hymno secundo*. Ave Virgo in qua sunt hyacinthi purpurei gratiæ, in cujus folijs sunt libertatis literæ, nec verbum est mortis. *S. Bernard. in verba Apoc.* Præterea Maria velut alterum solem induit sibi, quemadmodum enim ille super bonos, & malos indifferenter, super justos & peccatores: sic ipsa quoque præterita non discutit merita, sed omnibus se exorabilem, clementissimam præbet, omnium denique necessitates Materno miseretur affectu.

Hanc Virginis misericordiam tantoperè consideravit *Bonav. spec.* ut dixerit. Non solum in te peccant ô Domina, qui tibi injuriam irrogant, sed etiam qui te non rogant. *S. Germanus Archiep. Constantinop. in encom: zone cap. 10.* Tu ô castissima, & optima, & summè misericors Domina, Christianorum Solatium, eorum qui affliguntur potentissima Recreatio, paratissimum Refugium peccatorum. *Cap. 12.* Non est revera finis tuæ magnitudinis, non est ulla satietas tuæ defensionis, non est numerus tuorum beneficiorum. *Richard. à S. Victorino p. 2. in cant. cap. 23.* In te Virgo concrevit lac misericordiæ; quia cibus ille, quo Christus in plenitudinem ætatis alitus est, non erat aliud, quàm misericordiæ lac, ad faciendam misericordiam nobiscum: adeò Virgo pietate replentur ubera tua, ut alicujus noticiâ miseræ tacta lac fundant misericordiæ, nec possis miseras scire, & non subvenire. Et quid mirum si misericordiâ affluis, quæ ipsam misericordiam peperisti? carnalia in te Christus ubera suxit, ut per te nobis spiritualia fluere: cum enim misericordiam lactasti, ab eadem misericordiæ ubera accepisti. *Hugo Victor. Inst. monast. serm. 67.* Quid misericordiùs B. Mariâ, quæ à cunctis fidelibus misericordiæ Mater esse comprobatur. *S. Bernardinus tom. 3. serm. 11. art. 1. cap. 3.* Aliquando (Nubes quæ deducebat populum in deserto) præcedebat, aliquando superferebatur, ut mysticè patrocina B. Virginis in populum electorum, & omnium Christianorum designaret. *Bonavent. spec. cap. 5.* Quis Mariæ immensitatem dimensus est, nisi ille solus, qui ipsam non solum in gratia, & gloria, sed etiam in misericordia altissimam, tam profundam operatus est.

5. Beatam dicunt tentati.

Quia est eorum Protectio.

Raymundus Bullus Erumita lib. de laud. Virg. cap. 30. dixit: Neminem timere oportet, & maligniam dæmonum, cum teneat Dei Genitricem sibi propitiâ, & protectricem.

R 3

stular